



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. I. An defacto Pœnitentia sit necessario necessitate Medij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

leve mendacium posset rectè eligi ad vitandum infernum, si alterutrum esset necessarium, & talem electionem Deo magis placituram, adeoque tunc mendacium non fore peccatum. Quæ doctrina est contra communem sensum DD. & etiam si vera esset (quod non est) non solveret præsentem objectionem.

Respondetur cum Card. Lugo, & Pallavicino c. 9. n. 105. distinguendo inter affectum speculativum & practicum, hoc est, electivum. Itaque de affectu practico non procedit nec probat obiectio, sed benè probat de affectu speculativo, hoc est, non influente in culpam, nec illam eligente. Sic etiam potest quis affectu speculativo gaudere de culpa præterita, propria & aliena, tanquam materia humiliationis, compunctionis &c. Et propter hæc addita sunt in Conclusionem ultima verba: *Affectu practico*. Hinc tamen non sequitur, poenam inferni esse simpliciter majus malum peccato, quia hoc desumendum est per ordinem ad affectum practicum.

Replicabis. Obiectum affectus practici & speculativi nihil inter se differunt: ergo repugnat vnum affectum esse honestum & alterum inhonestum: debet enim honestas vel inhonestas desumi ab objecto. R. Negando antecedens. Nam affectus practicus tendit in obiectum ut habens dependentiam à libero exercitio sui subiecti, vult enim obiectum facere, & dependere à se. affectus verò speculativus vult obiectum se-

cundum circumstantiam independentiæ à se, si-ve, ut ponendum ab alio, in exemplis. desiderat aliquis amico iacturam bonorum temporalium, quia videt, quod sint ipsius ruina spiritualis: & talis affectus speculativus vult illam iacturam ut ponendam aliquo casu fortuito, vel alio à se independente, & est honestus. sic S. Augustinus desideravit superbis lapsum, quando dixit *lib. 14. de Civit. c. 13. ad finem*. [Audeo dicere, superbis vitale esse cadere in aliquod manifestum peccatum, ut sibi displiceant, qui jam sibi placendo ceciderant.] Non licet tamen illam iacturam velle practice, hoc est, velle illam inferre. Jam ergo, quando quis affectu speculativo minùs odit peccatum mortale ut jam existens, vult præcise hoc quod est: poni à Deo seu conservari id, in quo consistit peccatum habituale secundum id quod superaddit actuali, & hoc non est aliquod liberum exercitium hominis, sed vel negatio condonationis, vel negatio gratiæ &c. pro diversitate sententiarum in hoc puncto, de quo actum in 2. libro. Item quando quis affectu speculativo minùs odit permissionem divinam peccati quàm infernum, mavult poni in illis circumstantiis, in quibus Deus videt eum lapsurum, quod iterum est obiectum ponendum independentem ab exercitio libertatis humanæ, & sæpè est beneficium,

quando scilicet est occasio majoris sanctitatis, imò effectus Prædestinationis, ut tradunt SS. PP.

CAPVT III.

DE NECESSITATE POENITENTIÆ.

CONTROVERSIA I.

An defacto Pœnitentia sit necessaria necessitate medij.

TRiplex quæstio circa necessitatem Pœnitentiæ est; 1. an defacto, ex divina saltè ordinatione & decreto, sit retractatio peccatorum commissorum necessaria necessitate medij. 2. an etiam sit necessaria necessitate medij in ordine ad potentiam Dei absolutam. 3. an sit necessaria necessitate præcepti, & quomodo. Ad 1. quæstionem quæ facilis est,

DICO 1. Aliqua retractatio, vel formalis vel virtualis, est defacto necessaria necessitate medij. Habetur in Trident. *sess. 14. c. 4.* Per virtutalem Pœnitentiam intelligimus actum, qui quidem non est explicite reflexus supra peccata commissâ, formalisque eorum retractatio, est tamen talis profectio honestatis obiectivæ oppositæ, ut

sit impossibilis cum voluntate committendi tale peccatum, & consequenter si occurreret memoria peccati commissi, talis actus determinaret ad formalem retractationem peccati commissi. Probatur ex S. Scriptura. *Luc. 13. Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis. Eccles. 2. Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Dei. Apocal. 1. Age pœnitentiam, sin minus, veniam tibi cito. Ezech. 18. & alibi passim.* Congruentia cur Deus ita ordinaverit, ut homo post lapsum aliter non admittatur ad gratiam, redditur à S. Thoma *q. 86. a. 2. & illustratur à Recentioribus.* Homo est agens liberum, & per peccatum liberè se avertit à Deo, & convertit ad creaturam, ideo congruum est, ut non redeat ad Deum, nisi per motum contrarium priori, per motum scilicet intentionalem

tionalem voluntatis, revocando priorem voluntatem, & deestando statum peccati, ac desiderando statum iustitiæ.

917. DICO 2. Non est necessarius necessitate medij actus elicitus à Pœnitentia ut est virtus specialis, explicata supra. Est contra Tannerum. Probat. Nam actus Charitatis iustificat: atqui ad hoc ut iustificet, non est necesse, ut imperetur à Virtute Pœnitentiæ, alioquin vis iustificandi potius actui imperanti quàm actui imperato tribuenda esset: ergo actus Pœnitentiæ specialis non est necessarius necessitate medij.

918. DICO 3. Non est necessaria necessitate medij Pœnitentia formalis, sed sufficit Pœnitentia virtualis, in casu quo virtualis dari potest sine formali. Est contra Melchiorem Canum, qui asseruit, posse actum perfectæ dilectionis existere in homine peccatore, quando deest formalis retractatio. Probat. Potest enim homo non recordari suorum peccatorum, adeoque tunc non potest elicere formalem retractationem, potest tamen tunc cognoscere bonitatem Dei, & ab ea moveri ad amandum Deum; quo amore homo ille iustificabitur: ergo vera est conclusio. Major est certa. Minor probatur. Nam actui charitatis promittitur reciprocus Dei amor & iustificatio. Proverb. 8. *Univerſa delicta operit Charitas, Ego diligentes me diligo &c.*

CONTROVERSIA II.

An Pœnitentia sit necessaria de potentia absoluta.

919. DICO, non esse sic necessariam, sed posse hominem iustificari absque omni prævia pœnitentia. Est contra utrumque Sorum, Lorcam & Becanum & Amicum de *Iustific. d. 32. sect. 22. n. 50.*

Pro fundamento Conclusionis supponendum est, ad remissionem peccati de potentia absoluta non esse necessarium actum perfectæ dilectionis, hic enim tantum est necessarius, juxta præsens Dei decretum, disjunctivè, vel ipse, vel Sacramentum Pœnitentiæ. Hoc posito

Probat. Conclusio. Ad remissionem peccati, siue ea fiat per infusionem Gratiæ, siue per meram condonationem extrinsecam, de potentia absoluta non requiritur talis prævia dispositio, quæ sit ex natura sua connexa cum remissione peccati: ergo nulla requiritur. Antecedens concedunt adversarij. Consequentia probatur. Dispositio quæ connaturaliter ad formam requiritur, eam tamen non trahit indispensabiliter post se, potest à Deo suppleri tanquam à supremo Domino omnium creaturarum, ut communiter omnes concedunt in alijs formis: ergo nisi ostendatur specialis repugnantia in remissione peccati, potest homo, utpote etiam post peccatum capax remissionis ejusdem, & reconciliationis cum Deo, transire à denominatione inimici ad denominationem

non inimici, siue vlla prævia dispositio: qui dispositio quam adversarij vnicè requirunt, esset retractatio peccati commissi: ergo per solutam potentiam potest homini remitti peccatum sine tali retractatione.

Dices, hæc vera esse loquendo de dispositione physica, non verò de dispositione morali, quæ sit motivum alliciens ad præstandam misericordiam, à qua exhibenda semper aliquo modo tardat peccatum præteritum necdum condonatum, quatenus hominem reddit indignum eius misericordiâ & beneficio. Sed contra. Quæ absque omni motivo creato, sufficit Deus intrinseca infinita bonitas in ratione morali ad sublevandam quamcunque miseriam. Deum vis resistendi quæ inest peccato (nolito condonari modo, nam, ut in 1. lib. dictum, nullius creaturæ existentia habet verè rationem moralem, quod Dei decretum, cum simplicitate Deum vini nullam admittat virtutem distindendi, nec præsupponat visionem vilius creature, & finita & limitata, Bonitas autem Dei & infinita inclinatio ad miserendum, est infinita, potens superare omnem resistantiam finemque, fertur cum peccatum semper sit aptum condonari ad majus bonum inde elicendum, videlicet, ut Deo permitti possit, sicut ergo ejus resistens, non movet ne permittatur fieri, vincitur ab illius boni quæ ex ejus permissione elici possunt, ita ejus resistens ne condonetur vinci potest ab illius bonis, quæ ex gratuita condonatione elici possunt.

920. Obijciunt 1. & principaliter. Tandem manet peccatum habituale (de hoc enim est præsens questio) quamdiu manet peccatum præteritum habitualiter voluntarium: atqui tantum manet habitualiter voluntarium peccatum præteritum, quamdiu non retractatur: ergo tantum manet peccatum habituale seu peccatum præteritum in ratione peccati habitualis, quamdiu non retractatur: ergo ad peccati destructionem essentialiter requiritur retractatio: ergo sine hac per nullam potentiam fieri potest.

Hujus argumenti infirmitas ostenditur eo quod nimium probet. Probat enim, quod retractatio esset pars formæ iustificantis: quæ formaliter opponitur peccato; si vera est eorum argumentatio, quod etiam observavit Lugo & Elparza q. 11. de *Iustific. in fine vlt. probat.* Propter. 2. Quod quæcunque retractatio esset sufficiens ad destruendum peccatum habituale, iudicium ad destruendum peccatum habituale, independentem ab omni infusione Gratiæ, vel condonatione extrinseca, vel Sacramento. Nam condonatio tollit rationem voluntarij habitus peccati præteriti. hæc autem ratio voluntarij habitus peccati præteriti, per te est ipsa essentia peccati habitualis, saltè in adæquatè: ergo hæc sublata est facta saltè in adæquatè essentia peccati habitualis, atqui quando aufertur etiam in adæquatè essentia rei, est simpliciter sublata essentia: ergo potest qualicunque retractatione, esse destructum peccatum habituale.